

Ptismo, in Symbolo, in caestri. Dominicis sacramentis: In Spiritu autem nitatis & vinculo pacis, in ipsa denique Catholica Ecclesia, nobiscum non estis. Hec si accipiatis; non tunc aderunt; sed tunc proderunt, quae habetis. Non ergo, sicut putatis suscipimus vestros; sed suscipiendo efficiamus nostros, qui recedunt a vobis, ut suscipiantur a nobis: & ut incipiant esse nostri, prius desinunt esse vestri. Nec nobis conjungi compellimus \*operarios erroris, quem detestamus; sed ideo nobis illos homines conjungi volumus, ne hoc sint, quod detestamus.

Sed baptizavit, inquis, post Joannem Paulus Apostolus. Numquid post hæreticum? Aut si forte audes illum amicum sponsi hæreticum dice te, & in unitate Ecclesiae non fuisse volo & hoc scribas: Si autem hoc de-  
mentissimum est, vel sentire, vel dicere, jam tuæ prudentiæ est conside-  
xare, quare post Joannem Paulus Apostolus baptizaverit. Si enim post æqualem; omnes post vos baptizare debetis: Si post majorem;  
debetis & tu post Rogatum: Si post minorem; debuit post te Rogatus,  
cum presbyter baptizâsses. Si autem baptismus, qui nunc datur, ideo  
pariter valet in eis, quibus datur; quamvis sint imparis meriti, per quos  
datur; quia Christi est; non eorum, a quibus ministratur; puto, quod  
jam intelligas, ideo Paulum dedisse quibusdam baptismum Christi, quia  
Joannis baptismo fuerant baptizati; non Christi. Joannis quippe ba-  
ptismus ille dictus est: sicut multis locis divina Scriptura testatur, quod  
& ipse Dominus dicit: *Baptismus Joannis unde erat?* de cœlo, an ex homi-  
nibus? Baptismus autem, quem dedit Petrus, non erat Petri; sed Christi,  
& quem dederunt, qui tempore Apostolorum, non castè, sed per invidiam,  
Christum annunciant, non erat eorum; sed Christi: & quem dede-  
runt, qui tempore Cypriani, fundos insidiosis fraudibus rapiebant, usuri  
\*multiplicibus fœniis augebant, non erat eorum; sed Christi: & quia Christi  
erat, ideo, quamvis non per æquales daretur eis; tamen, quibus daba-  
tur, æqualiter proderat. Nam si tanto melius quisque baptizatur, quan-  
to a meliore fuerit baptizatus, non recte gratias agit Apostolus, quod  
zeminem Corinthiorum baptizaverit; nisi Crispum & Cajum & Stephanae  
domum. Tanto enim melius baptizarentur, quanto erat Paulus melior,  
si ab ipso baptizarentur. Denique cum dicit: *Ego plantavi, Apollo ri-*  
*gavi:* videtur significare, se euangelizasse illum baptizasse. Nunquid  
melior Apollo, quam Joannes? Cur ergo post istum non baptizavit, qui  
post Joannem baptizaverat; nisi quia iste baptismus, per quemlibet da-  
tus, Christi erat; ille autem, per quemlibet datus, quamvis Christo viam  
præpararet, tamen Joannis erat?

Invidiose dici videtur: post Joannem baptizatum est, & post hæreticos  
non baptizatur. Sed potest & hoc invidiose dici: post Joannem bapti-  
zatum est, & post ebriosos non baptizatur. Melius enim hoc vitium  
comme-

\* Al. ope-  
rarios qui-  
dem erro-  
ris detesta-  
mur:

A& 19, 3.  
& seqq.  
Ioh. 3, 19.

188.

Mat. 21,  
25.  
Ad Philip.  
1, 15, 17.

Cypr. de  
Lapiss, c. 3.  
\* Al. mul-  
tiplicantibus

1. ad Cor.  
1, 14, 16.  
1. ad Cor.  
3, 6.